

SESSION 2014CLASSES DE PREMIERE

## VERSION LATINE

### **COMMENT SCIPION RENDIT SES COMPTES**

Scipio Africanus antiquior quanta virtutum gloria praestiterit, at quam fuerit altus animo atque magnificus, et qua sui conscientia subnixus sit, plurimis rebus, quae dixerit quaeque fecerit, declaratum est. Cum M. Naevius, tribunus plebis, accusaret eum ad populum, diceretque accepisse a rege Antiocho pecuniam, ut condicionibus gratiosis et mollibus pax cum eo populi Romani nomine fieret, et quaedam item alia crimini daret indigna tali viro, tum Scipio, pauca praefatus, quae dignitas vitae suae atque gloria postulabat : « Memoria, inquit, Quirites, repeto, diem esse hodiernum, quo Hannibalem Poenum imperio nostro inimicissimum magno proelio vici in Africa, pacemque et victoriam vobis peperi insperabilem ; non igitur simus adversus deos ingrati, et censeo relinquamus nebulonem hunc, eamus nunc protinus Jovi optimo maximo gratulatum. » Id cum dixisset, avertit, et ire ad Capitolium coepit. Tum contio universa, relicto tribuno, Scipionem in Capitolium comitata est. (AULU-GELLE)